

pontifice, sed a singulis pontificibus, statim post suam electionem, confirmantur cum effectū retroactivo; hoc modo assimilantur legibus perpetuis.

CAPUT IV

DE JURE CANONICO NATIONALIS

22. Jus particulare est Complexio legum quæ alicui Ecclesiæ propriæ sunt. Singulæ ecclesiæ particulares habent relativam jurisdictionem unde possint leges condere pro suo ordinato regimine.

Jus particulare alicujus ecclesiæ efformant :

a) decreta conciliorum nationalium et provincialium, episcoporum statuta tum intra, tum extra synodum diocesanam habita;

b) speciales constitutiones quas supremus legislator, vel ejus delegatus, tulerit pro determinato territorio;

c) exemptiones a jure communi, sive principis expresso privilegio, sive præscripta consuetudine firmatæ;

d) tandem concordata, seu pactiones conventæ inter Ecclesiam et societatem civilem. Unde Ecclesiæ particulares suas libertates et consuetudines, sua privilegia merito vindicare possunt et ea servare.

23. Huicque nullum concilium nationale in hac Dominione Canadensi fuit habitum, sed plura concilia provincialia fuerunt celebrata, quorum decreta, prius a S. Sede recognita, typis fuerunt mandata.

24. Ex bulla die 12 mensis Julii data, anno 1844, Ecclesia Quebecensis ad dignitatem Ecclesiæ metropolitanæ fuit erecta et dioceses Marianapolitana, Regiopolitancensis et Torontina fuerunt ejus Ecclesiæ suffraganeæ. Ex nova bulla,